



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 3. Ultima conclusio ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

falsum, alias sicut Filius est Deus formalissime, ita formalissime esset Pater, & sicut Spiritus Sanctus est spiratus, erit etiam genitus, & Filius; ne igitur hæc absurda sequantur, dicendum erit vobis (inquit Gilbertus) aut fateri debetis distinguere realiter formaliter relationem à diuinitate, essentiam à sapientia, aut nullo modo dari in Deo sapientiam, Paternitatem, &c.

122 Sanctum vero Concilium, vt hæc sophismata Gilberti dilueret, & ipsum ab his tenebris errorum separaret, docuit primum sapientiam, relationem & cæteras perfectiones diuinas dari in Deo vete, & realiter. Deinde docuit, tales perfectiones non distinguere realiter formaliter à diuina essentia, vt patet ex secundis verbis à me citatis, & ideo ait: [credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse, iustum esse à iustitia, quæ est ipse Deus, &c.] Et nihilominus docuit adhuc posita tali non distinctione reali formali, sed potius identitate formali, & reali posse bene compati, quod diuinitas communicetur Filio, non communicata Paternitate; & quod Spiritus Sanctus procedat formalissime, tanquam per radicem, vt quo, per essentiam mediante voluntate, & non mediante intellectione; quia ad hoc sufficit (dócebat Concilium) quod relatio æquiualeat à parte rei distinctæ perfectioni ab essentia, & quod sapientia æquiualeat distinguatur ab essentia; ratione infinitæ eminentiæ, & excellentiæ diuinæ cum summa perfectione, & actualitate eiusdem, quæ distinctio virtualis, aut æquiualentiæ est sufficiens fundamentum ad veritatem illarum prædicationum; & vt intellectus noster distinguat vnā formalitatem ab alia: & ideo docebat, Gilbertum fateri debere identitatem formalem realem inter perfectiones diuinas; ne derogaretur simplicitati diuinæ, neque læderetur omnidentitas diuina, & simul fateri debere veram existentiam diuinarum perfectionum in Deo, cum aliquā distinctione virtuali à parte rei, & formali per intellectum, quod vt significaret, sic ait [esse in Deo id quod est sapiens, & quo est sapiens.]

Ex quo amplius colligebat Concilium, sicut distinctio realis formalis maxime lædit simplicitatem diuinā, ita è contra distinctionem rationis, & virtutem nihil derogare tali simplicitati, utpote quæ consistit in quadam summa, & excellentissima identitate Dei cum omnibus formalitatibus realibus, quæ de illo dicuntur; quemadmodum Cyrillus Alexandrinus lib. 6. *Thesauri, cap. 3.* significat contra Arianos his verbis: [si aliud est apud Deum præscire, aliud velle; neque hinc simplicitas eius læditur; erit similiter aliud generare, aliud spirare, aliud creare, aliud facere in Deo; nec vlla propter hoc compositio erit;] quia talis distinctio æquiualentiæ clarius ostendit excellentiam diuinæ simplicitatis, & eminentissimæ identitatis, quæ ita perfectionem omnem complectitur, vt absque vlla reali pluralitate, & multiplicitate æquiualeat omnibus rebus distinctis inter se; ratione cuius excellentiæ prouenit impossibilitas exhaustiendi totam intelligibilitatem diuinæ perfectionis per vnum, aut alterum conceptum, proptereaque requirit infinitos, vt melius penetretur.

SECTIO III.

Vltima conclusio ponitur.

Volutio diuina non est constitutum metaphysicum diuinæ essentiae; & primo probatur hæc conclusio eisdem argumentis, quibus supra probauit intellectiōem diuinā non posse constituere diuinā essentiam; tum propter diuisionem, & pluralitatem volitionum, quæ ratio continetur in primo argumento; ibi enim probauit, intellectiōem non posse esse vltimum constitutum, quia vltimum constitutum alicuius essentiae debet esse omnino vnum indiuisum, & indiuisibile; atqui volitio diuina, sicut intellectio non est vna sed plures virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum; nam odium, & amor, volitio, & nolitio respectu eiusdem obiecti; v.g. hi duo actus, volo creare mundum, nolo, creare mundum, & loquor de vno, & eodem mundo, non solum distinguuntur virtualiter, sed etiam opponuntur, & ideo non potest Deus simul velle creare mundum, & simul nolle creare ipsum mundum, quia se excludunt virtualiter ab eadem voluntate Dei, conueniendo sub ratione volitionis, quæ rationes concludunt manifeste oppositionem virtualem à parte rei, & formalem per intellectum illorum actuum; quia opposita sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt; sed ea, quæ opponuntur, distinguuntur, ac proinde plura sunt: ergo volitiones diuinæ sunt plures, & non vna, sunt diuise, & non sunt vna indiuisibilis formalitas nostro modo concipiendi: ergo non potest esse vltimum constitutum Dei.

Tum etiam, quia volitio diuina non est formalitas perfectissima omnium, quæ reperiuntur in Deo; cum intellectio, & affectus sint perfectiores ipsa volitione, vt applicanti secundam integram rationem meam qua probaui affectum esse perfectiorem intellectiōem, manifeste patebit, & præterea comparanti intellectiōem cum volitione sine dubio liquebit illam esse perfectiorem hac propter rationes omnes, quibus hoc probaui lib. de anima, & propter alias, quibus vtitur ad idem in tantum P. Franciscus Suarez. Tum etiam, quia volitio non est radix omnium proprietatum Dei, v.g. immensitatis, omnipotentiae, vt ratione tertia pro nostra conclusione *scilicet, præcedenti* probaui in intellectiōe non radicari huiusmodi perfectiones, quæ à fortiori potest applicari volitione diuinæ, & præterea id euidenter patet, si volitio consideretur respectu intellectiōis, quæ cum præcedat volitionem ipsam, secundum illud axioma, nihil volitum, quin præcognitum, non potest oriri aut facere, adhuc nostro modo concipiendi, vt attributum ab essentia, ab ipsa volitione.

Itaque omnes rationes *scilicet, præcedenti* posita possunt facile applicari ad probandum, volitionem diuinā non posse vltimo constituere diuinā essentiam: ergo illa metaphysice vltimo non constituit quidditatem Dei; præter illas autem rationes sic argumentor; quia gradus volitiuus est secundarius & non primarius in substantia intellectuali, sed vltimum constitutum diuinæ essentiae debet esse primarium, & non secundarium prædicatum: ergo volitio, seu gradus volitiuus non potest quidditative vltimo constituere diuinitatem. Maior est clara; quia gradus volitiuus est

est appetitiuus: sed gradus appetitiuus est secundarius respectu cognoscitiui, vt ex Philosopho omnes Doctores docent: ergo gradus volitiuus non est primarius sed secundarius gradus. Minor sic probatur: quia maior est euidens ipsis terminis; quia ille gradus est secundus, & est secundarius, qui præsupponit aliū, cū quo connectitur necessario, tanquā cum conditione prærequisita; sed gradus appetitiuus præsupponit cognoscitiuum, sicut appetitio præsupponit cognitionem necessario: ergo gradus appetitiuus est secundarius, & non primarius.

116 Et hac ratione licet in homine, & in Angelo detur gradus volitiuus, & intellectiuius, nullus huc vsque constituit pro primario, & vltimo constitutio gradum volitiui, sed potius intellectiuius; quia hic putatur principalis ille accessorius ille secundarius, iste primarius: ergo similiter in Deo non potest constitui diuinam essentiam volitio, aut gradus volitiuus, quia eodem modo militat rationes ad excludendam a constitutione diuinæ essentiae volitionem in diuinis, ac in creatis.

117 Quinto sic arguuntur, quia si volitio, aut gradus volitiuus non solum vltimo, sed alio quocumque modo constitueret diuinā essentia, & naturam in Deo processio Spiritus sancti esset generatio: sed secundū fidē catholicā Spiritus S. non generatur: ergo gradus volitiuus non constituit diuinā naturā, & essentia. Sequela maioris sic probatur; quia illa est generatio, ex vi cuius formalissime producit terminus, cui formaliter communicatur diuina natura, aut gradus essentialis illius, quia communicato vno, communicantur omnes; sed Spiritui sancto ex vi suæ productionis communicatur gradus volitiuus, qui per vos est ipsa natura diuina, & constitutum essentialē illius, ac per consequens illa communicatur: ergo processio Spiritus sancti est generatio.

118 Dices, ex hac ratione sequi contra nostrā primā conclusionē intellectionem diuinā esse vltimum constitutum diuinæ naturæ, quia Verbum diuinū vere generatur à Patre, quia producit per intellectionem; quod inde prouenit, quia communicatur illi gradus intellectiuius, aut intellectio, qua communicata, communicatur diuina natura, & essentia formaliter, ac proinde producit vt Filius.

119 Sed contra, quia nos non ideo dicimus, Verbum diuinum generari formaliter, & procedere vt filium ex vi suæ processionis, quia communicatur illi præcise intellectio, aut gradus intellectiuius sine affectu, sed potius quia illi communicatur formalissime ex vi suæ processionis, non intellectio primario, quia hæc concipitur à nobis per modum operationis quasi fluentis à suo gradu; sed quia communicatur gradus intellectiuius contractus per affectum vltimo, nam sicut Pater, qui generat Verbum, non solum est substantia intellectualis vt sic, ac proinde persona, sed potius substantia intellectualis à se independentis omnino, in qua datur essentia diuina formaliter constituta per gradum intellectiuium, tanquam per rationem superiorem, contractum tamen per rationem metaphysicam Dei. Ita similiter quando generat Verbum, quia intendit producere personam sibi omnino simillimam, non solum producit illud communicando ipsi gradum intellectiuium (quia ex vi solius talis gradus Verbum non esset omnino simile Patri; siquidem non haberet omnem gradum, quem habet Pater ef-

fectualiter, videlicet gradum affectus, & independentiæ) sed etiam gradum affectus contrahentem vltimo gradum intellectiuium, & vltimo constituentem personam in esse Dei; nam cum productio Verbi, & generatio ipsius sit intellectio diuina nostro modo concipiendi,uens, non ab intellectu vt sic, sed à gradu intellectiui in creato, & à se, inde est quod ex vi diuinæ intellectionis medio gradu intellectiui, seu intellectui formaliter à se omnino independente communicetur à Patre Filio talis gradus intellectiuius à se omnino independentis, qui formaliter sit essentia diuina vltimo constituta per gradum affectus, contrahentem formaliter ad hanc constitutionem vltimam (vt ita loquar) exercendam gradum intellectiuium, qui non potest vltimo modo communicari per intellectionem diuinam, & increatam, nisi communicetur gradus affectus, qui formaliter contrahit intellectiuium, vt dixi.

Quo manifeste patet, non ideo dici Verbum generari à Patre, quia ei communicetur intellectio, aut solum gradus intellectiuius, tanquam vltimum constitutum diuinæ naturæ, sed potius quia ei communicatur gradus substantialis intellectiuius vltimo formalizatus per affectum, & independentiam, nam generatio, seu intellectio diuina per diuinam, & intellectuale substantiam à se communicat Verbo substantiam intellectuale formaliter à se; quia non potest imperfectissima, & increata communicatione communicari vnus gradus sine alio, cui formaliter coniungitur ille, videlicet gradus intellectiuius, qui est superior, & vniversalis sine inferiori formalizante, & formaliter contrahente illum; nam generationi Verbi, quatenus intellectio est, correspondet communicatio gradus intellectiui, & quatenus increata est, correspondet communicatio affectus, & formalitatis increatæ vltimo constitutis diuinam naturam, quæ formaliter communicatur ex vi formalissime, ac diuinæ generationis, & sic Verbum diuinum quod ita generatur, est perfectissime, ac omnino simile Patri in natura; quia habet ex vi suæ generationis formalissime naturam diuinam, quæ est in Patre secundum omnem formalitatem constitutam illius vltimo.

Si autem per impossibile communicaretur Verbo ex vi suæ productionis gradus intellectiuius sine affectu, licet esset Filius; non tamen esset perfectè Filius, quia non assimilaretur formaliter ex vi suæ productionis Patri perfectissime in natura secundum omnes formalitates illius; siquidem non communicaretur illi natura secundum omnes eas, cum deberet affectus, nihilominus tamen vt dixi, esset Filius; quia formaliter communicaretur illi natura secundum aliquos gradus essentialis, videlicet substantie viventis intellectualis; v.g. in multis generationibus creatis cōtingit vbi productum accipit gradū viuendi, & sentiendi qui sunt essentialis nature producētis & ideo dicitur Filius, licet non perfectè Filius, quia non accipit per productionē eandem naturam, secundum omnes gradus, quos habet in Patre.

Spiritus autem sanctus neque perfectè, neque vt imperfectè dicitur Filius; quia formalissime ex vi suæ productionis non accipit naturam diuinā in aliquo, aut in omnibus gradibus essentialibus constituta, sed solum gradum volitiuium, seu appetitiuium talis nature, qui est secundarius, vt supra dixi, quia procedit per volitionem tanquam per productionem, non fluentem nostro modo intellecti

intelligendi à gradu intellectiui, neque à Patre, vt in tali gradu constituto, sed potius à Patre vt habente gradum volitiuium consequutum ad gradum intellectiuium à se, & ideo formaliter non communicatur illi a se, quia a seitas non formalizat, aut formaliter contrahit gradum secundarium vt est volitiuius, sed potius gradum primum & essentialem, qualis est intellectiuius; nam voluntas diuina nostro modo concipiendi sequitur essentiam diuinam iam habentem a se, & constitutam per se per omnimodam independentiam suppositam ante voluntatem in natura, & essentia. Itaque infinita voluntas, hoc est formalitas quadam habens omnem perfectionem, tam intensiuam, quam extensiuam in genere volendi, & appetendi, & ideo denominata omni-voluntas est quae est potentia, per quam produci-tur Spiritus sanctus, & ideo Spiritus sanctus solum habet ex vi suae productionis gradum volitiuium: atqui gradus volitiuius nullo modo est quidditarius, neque essentialis, neque constitutus diuinam naturam: ergo ex vi processionis non communicatur Spiritui sancto diuina natura, vt natura est, aut secundum completam rationem sui aut secundum incompletam; & ideo neque perfecte, neque imperfecte est Filius; Verbum autem diuinum, quia procedit à Patre formalissime per gradum intellectiuium à se, qui est natura ultimo completa, & constituta; media generatione, seu intellectione diuina, communicatur ei natura diuina formalissime; non quia communicatur ei intellectio actualis: sed quia communicatur ipsi gradus intellectiuius, non praecise, & solus, sed quatenus est à se, & increatus formaliter.

132 Ergo optime saluatur cum nostro modo defendi vera ratio filiationis in Verbo, non tamen in Spiritu S. cum Spiritui sancto, vt dixi, nullo modo formaliter communicetur natura diuina secundum aliquod praedicatum essentialia; sed solum secundum attributum naturae, scilicet secundum gradum volitiuium, quod est contra contingit in Verbo, qui vere est Filius, & vere generatur eo quod ei communicatur non solum intellectio diuina (quod non sufficeret ad rationem formalem generationis, quia nostro modo concipiendi formaliter, & virtualiter à parte rei non est natura diuina, sed operatio illius) sed etiam gradus intellectiuius formaliter à se, & increatus; a seitas enim cum praedicatu ultimo essentiali sit, formaliter contrahit metaphysice gradum intellectiuium, qui est superius praedicatu essentiali, & ideo formaliter communicato gradu intellectiui per intellectiuium, non vt sic, sed diuinam, communicatur formalissime gradus a seitas, qui contrahit formaliter gradum intellectiuium, & non volitiuium, quia gradus volitiuius non est essentialis, sed attributalis; quapropter Spiritui sancto, cui communicatur gradus volitiuius formalissime attributu, & non natura, seu essentia, neque adaequate, neque inadaequate communicatur, quibus facillime soluitur tota difficultas aduersariorum.

133 Vrgetur, quia gradus intellectiuius à se constituit naturam diuinam secundum a seitas, vt differentia completa metaphysice: ergo gradus volitiuius non ingreditur metaphysicam constitutionem; consequentia est nota; nam vt duae differentiae completae realiter distinctae vna per se essentia non constituent, ita nec duae differentiae completae virtualiter distinctae in diuinis possunt essentia Dei, per se vna constituitur; probo hanc consequentiam hanc distinctionem virtualis diuina aequiualeat reali creaturae quod ad munera distinguendi: ergo vt in

creatis duae differentiae completae realiter distinctae, vt optime notat P. Herize, vnam essentiam per se non constituent; ita nec in diuinis duae differentiae completae virtualiter distinctae: antecedens est clarum quia gradus intellectiuius ex propria ratione est differentia completa; nec enim est vt materia, & forma, quae sunt entia, ex se incompleta; ideoque non constituit vnum per se cum subiecto: ergo multo potiori ratione gradus intellectiuius in Deo est ens completum, quia à Deo omnis ratio entis incompleta remouenda est; vnde licet naturae diuinae accedat substantia virtute ab ea distincta, at non complet illam in ratione naturae, sed personae, supponit autem completam in ratione naturae: ergo gradus intellectiuius, & differentia a seitas in Deo quae pertinet ad constitutionem naturae diuinae, eam constituit vt differentia completa.

Nec obstat habere se vt partem metaphysicam, quatenus identitatem cum praedicatis quibusdam communibus vt Deum plene constituat, quia pars metaphysica in Deo (vt patet ex dictis in antepredicamentis, seu differentialis est ens completum, cuique tota natura rei respondet ex parte obiecti, quatenus talem differentiam transcendunt omnia praedicata superiora.

135 Dices, volitiuium gradum ingredi debere naturam diuinam constitutionem; quia natura Dei constitui debet perfectiori modo excogitabili continente omnem perfectionem simpliciter simplicem.

Sed contra, quia haec ratio probat etiam imensitatem iustitiae, & misericordiam pertinere ad essentialem constitutionem naturae Dei; sed hoc est falsum: ergo illa ratio probat plus quam intendit; cum autem quod multum probat, nihil probet, inde est, vt supra dictum nullius roboris sit. Maior sic probatur; quia imensitas, misericordia, & iustitia sunt perfectiones simpliciter simplices, sed per vos omnes perfectiones simpliciter simplices pertinent ad constitutionem essentialem: ergo supradictae pertinent. Maior est certitas, quia omnia praedicata absoluta in diuinis sunt perfectiones simpliciter simplices, quia vnusquodque est melius ipsum, quam non ipsum, & quam oppositum ipsius, quae est definitio perfectionis simpliciter simplicis: sed imensitas, misericordia, & iustitia sunt praedicata absoluta: ergo sunt perfectiones simpliciter simplices. Minor illa sic probatur; quia non omnes perfectiones quae sunt in Deo, sunt praedicata essentialia, & quidditatiua metaphysice, cum alia sint essentialia, alia attributalia, alia daretur essentia sine attributis, aut proprietatibus, quod est falsum in tota latitudine entis: atqui non est maior ratio de aliis, ac de imensitate, misericordia, & iustitia: ergo.

136 Ultimo si probatur; quia prius est in quo cumque ente esse aliquid ultimo constitutum, & completum, quam quod operatur, quia omne quod operatur, operatur in quantum est in actu; sed volitio diuina nostro modo concipiendi est operatio: ergo ante volitionem supponitur Deus iam ultimo constitutus: ergo non constituitur per volitionem diuinam.

Quod autem volitio sit operatio patet manifeste; quia volitio fluit à voluntate diuina tanquam à potentia, per quam produci-tur à Patre, & Filio Spiritus sanctus; sed omnis productio procedens à potentia est operatio: ergo volitio est operatio in diuinis, saltem nostro modo concipiendi.

138 Dices, voluntatem non se habere vt potentiam, sed vt actum respectu productionis Spiritus S.

K x Dices

258 Disputatio XVIII. De scientia in Deo.

- 139 Sed contra manifeste, quia implicat, aliquā vim productivam dici principium termini ut quod ab illa ori per modum actus, & non per modum potentiae, alias etiam in creatis qualibet productio diceretur esse principium productivum rei productae, quod absurdissimum est: cum ergo voluntas Patris & Filij sit principium producendi Spiritum sanctum per volitionem, tanquam per actum notionalem; sequitur necessario esse in Deo voluntatem per modum potentiae, etiam respectu actus modo nostro concipiendi.
- 140 Deinde, quia in Deo non solum datur velle actualiter sed etiam datur posse velle, ita ut posse velle distinguatur à velle actualiter virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum. Quod demonstrant omnes rationes supra posita, quibus supra probavimus, posse intelligere, & actu intelligere distinguere virtualiter à parte rei, & formaliter per intellectum: atqui posse velle comparatum cum actuali velle, & quatenus distinguitur ab actuali velle, est potentia, & actuale velle est actus talis potentiae saltem nostro modo intelligendi, quod patet manifeste, non solum in creatis, sed etiam in Deo; nam quia datur in Deo creare, & posse creare, distincta inter se, & praeterea datur terminus creatus, vel obiectum, ad quod tendit talis creatio, posse creare est potentia, creare est operatio, quia mediat inter potentia, & terminum creatum: sed in Deo datur posse velle, & posse producere Spiritum sanctum, & datur volitio ipsa, seu productio media nostro modo intelligendi inter posse producere & posse velle, & inter terminum productum; ita ut quasi fluat, ut quod ergo posse velle, & posse producere comparentur cum utroque, tanquam principium: ergo est potentia, & productio, & volitio operatio.
- 141 Praecipue, quia omnis actus vitalis nostro modo concipiendi, quia est motus à se, eo modo quo supra explicui, est operatio: sed volitio est actus vitalis: ergo volitio est operatio in divinis nostro modo intelligendi, & principium à quo fluat est potentia.
- 142 Responder P. Herize, in Patre ipsam paternitatem, & in filio ipsam filiationem cum volitione esse principium producens potius, quam productivum Spiritus sancti; nec in Patre & Filio esse potentiam respectu volitionis notionalis adhuc secundum nostrum modum concipiendi; sed solum respectu Spiritus sancti, respectu cuius proprie non est dicenda potentia, sed productio.
- 143 Sed contra, quia hoc est contra totam rationem principij productivi, & producentis; tum quia produciens, ut produciens duo dicit necessario, & posse producere, & actu producere; nam bene valet esse produciens: ergo potest producere. Sicut est volens: ergo potest velle; unde ab actu ad potentiam evidens est consequentia; sed illud posse in divinis distinguitur virtualiter ab actu producere, quia de ipsis verificantur praedicata affirmativa, & negativa; quia posse velle in divinis, & producere convenit realiter cum posse velle, & producere in creatis; & tamen actuale velle & producere in divinis non convenit realiter cum posse velle, & producere creaturarum; quia realiter posse velle, & producere distinguitur ab ipsa productione, & volitione actuali in creatis: ergo posse velle in divinis, & posse producere se habent ut potentia, & actus, & ut productivum, & productio; quia quatenus distinguuntur, habent ordinem prioris, & posterioris: ergo ordinem principij, & operationis, ut patet ex supradictis: ergo non est negandum in Deo modo nostro concipiendi dari voluntatem Dei per modum potentiae, & per modum operationis fluentis ab illa potentia, & ideo omnes Theologi concedunt in Patre, & Filio absolute esse potentiam respectu Spiritus sancti; unde D. Thomas *prima parte, q. 41. artic. 4.* concedit in Patre, & Filio potentiam ad actus notionales, quia sicut relatio supponit actum productionis, ut rationem fundandi, ita actus, seu productio supponit potentiam actiuam, à qua sit, & sicut necesse non est, actionem, quae fundat relationem realem distinguatur realiter ab ipsa relatione, ita necessarium non est potentiam, à qua est generatio seu productio, distinguatur realiter ab ipsa generatione: ergo recte dici potest, esse in Deo potentia volitiva secundum rem respectu actuum notionalium & essentialium, sicut dicitur esse rationem fundandi secundum rem, vel fundamentum relationis Spiratoris ad iui; ratione cuius inquit S. Thomas nuper citatus, Patrem, & Filium habere Spiracionem actiuam, quia produciunt Spiritum sanctum, & tamen Pater, & Filius non distinguuntur à productione activa Spiritus sancti realiter: ergo similiter dicere possumus: Pater & Filius habent potentiam spirandi; quod à posteriori colligimus, quia spirant actu Spiritum sanctum; & sicut in Patre, & Filio datur triplex relatio, Paternitas videlicet, filiatio, & Spiratio activa, etiam si spiratio activa, non distinguatur realiter à filiatione, & Paternitate; ita similiter nostro modo concipiendi datur potentia spirandi, à qua modo nostro concipiendi fluat spiratio activa.
- Nec valet dicere, dari in Deo magnam imperfectionem si ponatur potentia, & actus secundus, & dicatur actum secundum fluere à primo, sic Herize.
- Non enim hoc valet dicere; quia aperte est 144 contra principia ipsius Herize *tract. secundo, disputatione decimasexta, de libertat. volitionis divinae, capite decimo, numero 69. §. ergo in manu dicitur*, ubi ait, volitionem divinam fluere virtualiter ab essentia divina, ut à principio, his verbis: [ut in creatis voluntas libera nostra ab anima fluat prius intellectu affecta per modum accidentis, & formae inherens fluxui reali, si realiter ab ipsa distinguitur; ita debemus intelligere à Deo intellectione actuali essentialiter constituto (secundum nostram sententiam *disputatione tertia, capite tertio*), fluere virtualiter actualem volitionem rerum omnium:] atqui volitio non distinguitur realiter ab essentia Dei, sed identificatur cum illa, & nihilominus virtualiter à parte rei, & formaliter nostro modo concipiendi fluat, & emanat volitio ab essentia divina sine ulla imperfectione ex parte Dei, ubi debes concedere sine dubio potentiam in essentia divina, seu actum principium, à quo emanat ipsa volitio, ut actus secundus, & conceptus secundarius, quia id quod fluat ab alio, connotat id à quo fluat, tanquam principium talis fluxus: sicut id, quod produciatur ab alio, connotat id à quo produciatur, tanquam principium eius, quia nihil aliud est principium, aut potentia, nisi primum in aliquo ordine; quod est potens ut ab eo oriatur, aut fluat aliquod; sed essentia divina intellectione constituta est id, à quo fluat volitio divina virtualiter: ergo est principium, & potentia talis fluxus

Quaest. II. Vtrum Deus constituatur, &c. 259

fluxus virtualis, quia aliter non potest hoc concipi: ergo falso arguitur, dicendo, fluxum virtutalem volitionis à voluntate arguere imperfectionem; nec etiam debet arguere imperfectionem ex parte obiecti, sed solum in modo nostro concipiendi, quod volitio afficiat voluntatem divinam, & uniatur ipsi per modum actus ut denominet illam formaliter volentem; nam supposito, quod fluit, ut actus virtualiter, debet fluere vitali modo uniendo se potentiae per modum formae, alias formaliter non esset volens ex vi talis actus; quia potentia, vel quasi potentia non constituitur formaliter viuens in actu secundo, nisi per actum vitalem sibi unitum intrinsece, & informantem ipsam.

146 Quod hoc totum debes concedere necessario in volitione respectu essentiae; nam volitio diuina fluit ab essentia virtualiter, ut essentia per volitionem constituatur intrinsece volens, actualiter; & non potentialiter, ac proinde viuens actualiter: ergo per modum actus vitalis, & formalitatis immanentis in ipsa intrinsece: ergo talis volitio nostro modo concipiendi unitur per modum formae cum essentia; quia ex essentia, & volitione fluente ab illa resultat hoc concretum volens; sed in omni concreto datur materiale & formale, quod uniendo se per modum formae tali materiali formaliter illud; atqui in illo concreto, essentia volens; essentia non est formale, tum quia supponitur ante volitionem, tum quia illi ultimo aduenit volitio: ergo volitio ipsa est formale; sed non extrinsecum formale: ergo intrinsecum sed non intrinsecum per identitatem virtutalem, neque formalem per intellectum: ergo per unionem virtutalem, & formalem rationis; sed non per unionem partis integralis: ergo per unionem actus & potentiae: ergo talis unio inter perfectiones diuinas, licet indicet imperfectionem in nostra cognitione, nullam tamen imperfectionem refundit in Deum: ergo similiter fluxus volitionis à voluntate per modum actus secundi recepti primi uniendo se illi per modum formae potentiae, licet indicet imperfectionem ex parte nostrae conceptionis, nullam tamen indicat ex parte obiecti.

147 Dices cum Patre Herize volitionem respectu essentiae diuinæ non esse actum informantem adhuc nostro modo concipiendi, sed potius actum substantem.

148 Sed contra; quia vel quando dicis, volitionem diuinam nullo modo esse actum informantem; sed substantem, dicis nullo modo uniti volitionem cum essentia, licet ab illa virtualiter fluat, sed solum extrinsece assistere illi; hoc autem est falsum, quia ex essentia diuina, & volitione diuina resultaret vnum ens per accidens solum, & non vnum concretum intrinsecum viuens; patet consequentia, quia ex duobus entibus non unitis inter se non resultat vnum concretum intrinsecum, viuens, aut vitale, etiam si vnum fluat ab alio, verbi gratia, ex Deo & creatura fluere ab eo, Angelo nimirum non resultat vnum ens per se, quia non uniuntur intrinsece inter se; contra vero ex personalitate Verbi diuini, & humanitate creaturae Christi resultat vnum concretum personale intrinsecum, quia uniuntur personalitate Verbi, & humanitas intrinsece; sed per vos volitio diuina, quae est actus subsistens completus, & essentia diuina, à qua fluit, non uniuntur intrinsece, & per se, quia solum volitio assistit extrinsece essentiae: ergo non resultat vnum concretum intrinsecum ex

illis; sed potius vnum ens per accidens, ut ex pluribus Angelis resultat vnum ens per accidens, quae sunt plura entia completa sine unione, ac proinde cum diuisione; quia diuisio datur inter duo, inter quae non datur unio; quia diuisio est carentia unionis, aut per modum negationis, aut per modum priuationis: ergo similiter in nostro casu, si non uniuntur volitio, & essentia Dei, diuiduntur, & separantur, & ex alio capite sunt completae formalitates: ergo nullo modo constituunt vnum concretum intrinsecum; sed potius vnum ens per accidens; neque Deus potest esse volens intrinsece, & formaliter, quia actus assistens non constituit formaliter concretum intrinsecum; quis enim vnquam dixit, intelligentiam extrinsece assistentem caelo; constituere cum ipso quoddam concretum per se intrinsecum? & ponamus casum qui de facto contingit in Beatis; nam intellectio Dei, & volitio diuina intime est praesens intellectui, & voluntati animae, sicut toti substantiae Beati, & nihilominus non constituitur voluntas volens, & intellectus intrinsece intelligens, & viuens formaliter intrinsece, quia intellectio, & volitio diuina sunt actus subsistentes, & non intrinsece uniti per modum actuum vitalium talibus potentiis, sed solum extrinsece assistunt illis. Si autem per impossibile uniuntur formaliter per modum actus talibus potentiis, sine dubio ex illis resultaret vnum concretum intrinsecum, videlicet viuens & intelligens.

Atqui per vos volitio diuina est solum actus extrinsece assistens essentiae diuinæ, & non unitur nostro modo concipiendi cum tali essentia intrinsece, & formaliter per modum formae potentiae: ergo essentia diuina non viuit formaliter per talem volitionem; neque est volens formaliter: sed hoc est falsum: ergo volitio non solum assistit nostro modo concipiendi essentiae diuinæ, sed intrinsece unitur illi per modum actus vitalis potentiae vitali, & hoc sine imperfectione ex parte Dei; cum imperfectione tamen ex parte nostrae conceptionis.

Vergetur, quia nullus est Theologus, qui non fateatur in Deo diuinam essentiam, cuius proprietates essentiales, & personales assignant, quasi deitatis passiones, vel attributa ut immensitas, iustitia, bonitas, &c. quae attributa inter se, & ab essentia diuina formaliter distincta pene omnes concedunt, quorum aliqui asserunt, formaliter omnia inter se mutuo includi & in essentia, & rursus essentiam in quolibet, quasi quid transcendens imitari; alij vero docent formaliter inter se, & ab essentia mutuo excludi; omnes tamen docent, quodlibet attributum habere praedicatum aliquod speciale, quod ab essentia, & a reliquis distinguatur, & quod fluat saltem nostro modo concipiendi ab essentia per quandam virtutalem emanationem, non quidem transcendentem, sed potius formaliter immanentem; & intrinsece constituentem in esse vnus per se concreti, ratione unionis intrinsecae cum ipsa essentia, verbi gratia, Deus est sapiens, & omnipotens, bonus, & immensus; quia siue immensitas formaliter sit bonitas, siue formaliter sit Deitas, siue non, est tamen praedicatum, quo Deus formaliter redditur praesens omnibus rebus, quod non praestaret formaliter sola Deitate, etiam si haec includatur in illa, saltem implicite, & sic in reliquis attributis.

151 Ita similiter dicimus actum primum in Deo esse prædicatum quoddam, quo Deus dicitur potens velle, seu quo est intellectus, hoc est habens capacitatem ad intelligendum, & idem est de voluntate, & sicut omnes Theologi concedunt ex parte principij primi intellectiōem, saltem vt conditionem ad actum volitionis notionalis vel essentialis, siue includatur in intellectu Dei, siue non; ita etiam nos dicimus ex parte actus primi vt principij primi, & potentie esse voluntatem, quæ est radicale principium, & potentia volitionis, seu radix volitionis quæ est actus secundus vitalis supponens primum, à quo est, vel cuius est actus.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

152 **A**D locum D. Augustini respondeo, S. Doctorem solum identitatem formalem à parte rei intendere illis verbis; & idem dicimus de Dionysio, & Maximo, similes enim omnino loquutiones usurpant, dum de aliis perfectionibus diuinis agunt, quæ tamen secundum aduersarios quidditative metaphysice non constituunt diuinam essentiam; vnde S. Nizenus loquens de veritate Dei, & immensitate ipsius sic ait: [immensus est, verus est, iustus est, non quod aliud, & aliud sit iustitia, immensitas, & essentia; immensus enim, iustus, & verus per essentiam est; quare sua immensitas, veritas, & bonitas sua essentia est.] Et idem docet libro 9. contra Eunomium; neque aliter loquitur S. Maximus adductus à Ioanne Cyparisioto decad. 10. capite 4. dum loquitur de omnipotentia Dei, quæ in sententia aduersariorum attributum, & non essentialiter constitutum metaphysicum; vnde ait, [potentiam Dei non esse aliud, quam eius substantiam, & essentiam.] & in vniuersum, S. Cyrillus apud eundem Cyparisiotum capite 7. inquit, [non est quidquam aliud ipse, & aliud quid & aliud Pater, & aliud Verbum in ipso Deo, idem enim Verbum & diuinitas sunt; simplex enim & sine compositione est diuinitas cum relatione; licet relatio à relatione, persona à persona, mirabiliter discretionem reali scernatur.] Ecce quomodo inter relationem, & essentiam, quæ non est de essentia diuinitatis petit identitatem, eodem modo ac inter perfectiones alias, imo addit statim; [non aliter diuinitas cum sapientia quam cum misericordia, quam cum iustitia, quam cum sapientia vnum est, simplex enim, & sine compositione est.] Vbi solum asserit identitatem, quæ excludat omnem compositionem, non autem quæ indicet constitutionem quidditativam metaphysicam; alias non solum sapientia, sed & relationes & cetera attributa metaphysice essentialiter constituerent diuinam essentiam quod ipsi aduersarii negant; quia quoad hoc eodem modo loquitur S. Doctor de sapientia, ac de illis; vnde S. Augustinus, & S. Leo Papa enumerantes sapientiam cum aliis diuinis perfectionibus, scilicet æternitate, immensitate, veritate, & iustitia, eodem modo loquuntur de identitate istarum ac de identitate sapientie: ergo sicut non propterea concedunt immensitatem, misericordiam, iustitiam, &c. metaphysice constituere diuinam essentiam; ita etiam

non concedunt de sapientia; imo S. Dionysius aliquando asseruit, bonitatem Dei non esse posteriorem essentia Dei, vbi si loquitur de bonitate eo modo, quo supra explicuimus, pro nobis est; si autem loquatur de bonitate, vt est attributum, aperte manifestat S. Doctorem solum loqui de rebus vt sunt à parte rei, ac proinde negat dari prioritatem inter essentiam, & bonitatem; nam si nostro modo concipiendi loquendum sit, non potest dubitari, quin essentia prior sit bonitate sumpta pro attributo.

Ad secundum argumentum ex ratione petum nego maiorem, quia Deus non constituitur metaphysice vltimo per vitam intellectualem, sed potius per asseclatam quæ solum Deo conuenit, cum vita intellectualis etiam creaturis conueniat. Item distinguo Minorem, ex parte obiecti, & à parte rei concedo; modo nostro concipiendi, nego, vt patet ex supradictis, vnde fallitur Herize dicendo, omnes conuenire in hoc, quod Deus constituitur vltimo per gradum intellectualem; nam licet omnes Doctores concedant constitui quidditative, & essentialiter per talem gradum, nihilominus probatiorum Doctores negant vltimo constitui per illum; vt patet ex rationibus à nobis adductis, quia impossibile est, vt aliquid vltimo constituitur per aliquam formalitatem, cum qua conuenit cum aliis, à quibus vltimo distinguitur; nam potius vltimum distinctum debet assignari pro constituto vltimo, quam aliud, quod non est vltimum distinctum, cum autem gradus intellectus non distinguit vltimo, ideo non assignatur à nobis, vt vltimum constitutum essentialiter, etiam si vt constitutum quidditativum superius assignetur.

Ad probationem à priori nego vniuersaliter, rationem vitæ ex suo genere esse perfectissimam omnium, quæ reperiuntur in Deo, quod in secunda ratione pro nostra conclusione adducta aperte demonstrauimus; nam asseclata perfectior est intellectu, & gradu intellectu in diuinis: ergo illa, & non hic debet vltimo constituere Deum.

Præterea maxime fallitur Herize, dum ait eo modo debere nos constituere Deum vltimo, quo videmus constitutas creaturas, alias non esset vltima constitutio diuina; nam constitutio vltima debet esse per aliquod prædicatum, quod soli Deo conueniat, & non creaturis: ergo ad inuestigandam hanc vltimam constitutionem omnino recedendum nobis est à constitutione vltima creaturarum; sicut quando agimus de vltima constitutione hominis, debemus omnino recedere à constitutione reliquorum animalium; vt distinguamus eum ab illis; imo non videtur hæc doctrina Herize constare cum principiis eiusdem, nam ipse docet nullam creaturam constitui vltimo per intellectiōem, & ex alio capite affirmat, Deum constitui vltimo per intellectuē, addendo hæc verba, in quibus est oppositio, & contradictio cum dictis principiis: [portio cum nos agimus de constituto per rationem nostram naturæ diuinæ, eo modo constituere eam debemus, quo constitutas videmus, & consideramus naturas omnes creatas imo & creabiles, etenim alius modus constituendi naturam commentitius est, & sine vilo fundamento; atqui omnis creatura constituitur per gradum eius perfectissimum; ergo pariter natura diuina per rationem nostram debet ita constitui, &c.] Ex his contra te sic argumentor, Per